



Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Pro peccatorum remissione aliæ preces efficacissimæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

tibi incognita, qui serutaris renes, & probas corda, & reddis unicuique iuxta fructum adinventionum suarum.

Quare quā humilime & simplicissime possum tuæ excellentissimæ supplico Maieſtati, vt his meis defectibus misericorditer succurras, meamque necessitate & indigentia tuis supereffluētissimis meritis supplere digneris. Et quid vltra addā? Si queris impios & homines deperditos, in quos pietatem tuā exerceas, offero me tibi, vt tuam in me declares pietatem: quando quidem nihil ita tuæ conuenit misericordissimæ pietati quā misereri & parcere creaturæ tuæ, quæ per te facta, & à te refecta est.

O Iesu piissime, & amator ardentissime humani generis, noli quæso derelinquere me miserum in tanta constitutum miseria & necessitate, sed fer opem mihi & hostium meorum impulsus tu propitius depelle.

Iterum atque iterum te rogo luauissime Deus per omnes virtutes & merita tua, per omnē gratiam, quā vnquam piorū mentibus infudisti, per omnia dona superdulcissimi Spiritus sancti quibus discipulorū tuorū corda erudisti & illuminasti, per excellentissimā ac diuinissimam vnionē, qua tua humanitas diuinitati tuæ est vnita, & postremo per illam indicibilem charitatē, qua causam nostrā in te recepisti, vt nos Patri tuo reconciliares, redde mihi Patrē tuū cœlestē placatū & reconciliatū, & multiplicia mea peccata atque delicta sanctissimis tuis meritis dele, gaudijsque sempiternis post hanc vitā, mihi interesse cōcede, hereditatemque meā iam diu amisā mihi quæso restitue, & ad consortiū beatorū spiritū misericorditer me admitte, Amen.

Pro peccatorum remissione alia precatio efficacissima, humili corde dicenda.

Dulcissime, suauissime, amantissime, atque pulcherrime Domine mi Iesu Christe, rogo te per sanctissimam tuam natiuitatem, durissimum exilium, purissimam conuersationem, amarissimam passionem & mortē, per omnia vulnera tua, per omnes guttas preciosi sanguinis tui pro me effusi, per benedictissimam ac intemeratam matrem tuam virginē Mariam omnesque sanctos tuos, ne me sordidū, foetidū, ac omni peccatorū spurcitiā feceratū, hominē flagitiosum omni gratia tua indignum, propter grauissima mea peccata, impietatem & infinitas meas negligentias, quibus abunde nimis iram tuam contra me concitauī, despicias, aut à facie tua amabilissima repellas, sempiternis cruciatibus me tradendo. Sed vt des veniam misero mihi peccatori, recipiasque me contritum & compunctum in gratiā tuam, vt innotescat in omnibus finibus terræ nomen sanctum tuum, collaudentque te, omnes qui onasti sunt peccatis, grauatique huius mundi sollicitudinibus, vt confitī de tua pietate, misericordia & benignitate, suarum citius culparum sperent indulgentiam: incipiendo detestari & odisse se & peccata sua, atque ad te Deum verum & viuam conuertantur.

Offero me etiam tibi totum ad quæcunque sustinenda, pro innumeris meis delictis & excessibus, secundum liberalissimā tuā voluntatem ac benignissimū beneplacitum. quoniā tu semper iustus & bonus, & omnia in bonum conuertis. Ego verò iniquus & impius, omnia tua bona & dona mihi collata peruertēs ac destrues. Nec aliquid à me possum boni perficere, quantumuis bona mihi nō desit voluntas, propter carnis infirmitatē, qua trahor, raspior sæpe, vt nosti, cogitare quæ non licet, agereque quæ rationi contraria sunt. Ideo cōfiteor tibi Domine peccata mea, & rogo te, vt tu pie Domine ex abundantia meritorū tuorū suppleas defectum meum, perficiasque voluntatē meā, vt quicquid boni cōcipiam aut intelligam de te, aut quod honorē tuum proximique salutē promouere possit, hoc sine mora implere satagam, siue id fuerit seu-

rit sensualitati meae amarum siue suauae. Obsecro etiam te, vt quam diu in hac vita fuero, sub tua disciplina ac regimine, beatissimaeq; matris tuae Virginis Mariae custodia me conserues & protegas, ne vel vnquam hostibus meis me tentandi, impugnandi, aut mali quicquam inferendi via pateat: Praestante id mihi diuina tua gratia, omniumq; Sanctorum intercessione, quorum auxilium & protectionem deuoto & supplici inuoco corde, Amen.

Similis efficacia & virtutis, pro peccatorum indulgentia, precatio.

Iesu Christe fili Dei vnigenite, creator, redemptor, saluator, pater, dominus, spiritus animae meae offero tibi me totum ac omnia quae in me sunt bona, quae ex gratuita tua gratia & benignitate, non meo merito (non enim minimi seruuli tui nomine dignus sum) mihi misero hucusq; impendere es dignatus, & adhuc impendere ab aeterno disposuisti, si his bene ad gloriam tuam & meae salutis augmentum vterer. Similiter & omnia mala, peccata, flagitia mea, quibus non nisi aeternam me meruisse damnationem agnosco, teq; sine numero offendiisse grauiter, coram summae pietatis tuae oculis repraesento: rogans te per omnes miserationes tuas solitamq; clementiam tuam, quam miseris peccatoribus de suis operibus diffidentibus soles ostendere, vt omnia crimina mea deleas, peccata indulgeas, iustamq; iram tuam a me auertas. Bona vero, quae tua sunt, conserues, dona concessa augeas & multiplices, imperfectionemq; meam perficias, vt iuxta amplissimam ac perfectissimam placidissimamq; tui voluntatem omnem vitam meam instituum.

Tribuas etiam mihi mi suauissime Domine, aliquam gratiam specialem, qua perfectius quotidie tuam valeam voluntatem agnoscere, ac in dies magis magisque me despiciere & odisse: tibi autem incessanter vera ac perfectissima charitate adherere, nomen tuum sanctificare, honorem tuum in omnium cordibus promouere, precari etiam omni conatu & studio, ne aliquo modo te in habitaculo cordis mei per gratiam habitantem contristem, aut inde te per peccata mea & quotidianas negligentias exturbem aut profligem, vt habitaculum tuum sanctum efficiatur spelunca latronum & domicilium idolorum, id mihi gratia tua praestante, Amen.

Pro peccatorum remissione precatio alia efficacissima.

Pissime, adorande, atq; tremende Domine Iesu Christe, si aliquis me rogaret quanta posset obsecratione per nomen tuum pro aliqua re, quam illi sine labore aut damno meo dare possem: & si ei hanc eidem recusarem, ipsiq; forte haec res ad eum esset necessaria, vt me non subueniente ipse moreretur, nonne vitam ipsius de manu mea requireres? Si ergo nobiscum sic est, quanto magis tuam infinitam clementiam decet nos exaudire, qui iussisti nos petere in nomine tuo? Peto itaq; liberalissimam clementiam tuam, non solum in nomine tuo, sed etiam in omnium electorum tuorum, qui ab initio mundi fuerunt, & ad finem vsque futuri sunt, specialiter vero per interuentionem beatissimae & dignissimae Matris tuae (cuius preces non potes non exaudire) & per virtutem integerrimae vitae tuae ac amarissimae passionis, vt ab omnibus peccatis meis & quotidianis excessibus me absolnere digneris: & quoad vitam ab omni delicto me praeserues. Quid enim o dulcis Iesu mihi conferret diu viuere, teq; semper offendere, ac animam meam grauiori supplicio obnoxiam reddere? Ne itaq; diutius gratiam tuam mihi deneges oro, sed celerius eam cordi meo infunde, quo possim tibi magis placere, & quaecumq; me a te retrahunt fugere & auersari, Amen.

Pha.